

set ut diximus quia totum esse narauibus istius patrie discedemus ab ipso. & de magna turchya tractabimus. prout aperte poteritis reaudire/ Hic naratur de magna turchya ) :—

*iste sunt gentes tartare*

**J**N magna Turchia est quidam rex nomine caydu. qui nepos est magni can. Nam filius filij çagathay fratris germani magni can extitit Ipse habet multas ciuitates & castra. & potens dominus est. Ipse est tartarus & gentes sue tartare sunt. & sunt homines ualentes pro armis & hoc non est mirum. nam sunt in guerris continue conuersati. Iste caydu nunquam pacem habuit cum magno can. set gueram continuo Et ista turchya est uersus magistrum quando disceditur a cormos. Magna turchya est ultra flumen gion. & durat a tramontana usque <sup>107<sup>o</sup></sup> ad terras magni can. Iste caydu iam multa fecit prelia cum gentibus magni dominij Et discordiam quam secum habet uobis narabimus. caydu enim petebat ab ipso magno can. partem eius quod acquisiuerant. & proprie de prouincia cathay. & de prouincia manci. Et magnus can dicebat/ quod ei dare uolebat quantum alijs filijs suis. & tamen ire deberet ad suam curiam & consilium quotiens pro ipso miteret. et uolebat quod ei obediret tanquam filij sui obediunt & barones. Et per hunc modum dominus magnus dicebat quod dare uolebat ei partem illius quod acquisiuerant. Et caydu qui de patruo suo magno domino non confidebat dicebat quod ire nolebat. set ei obedire uolebat ubicumque permaneret. set ad curiam suam ire nolebat. quia timebat ne faceret ipsum mori hec enim erat discordia que regnabat inter magnum dominum & caydu. Et ob istam causam magna guera fuit exorta. & multa prelia inter ipsos fuerunt. Et magnus dominus per totum annum retinebat exercitum circa terras caydu. ad hoc ut caydu cum gentibus suis non ualere inferre dapnum in terras suas & homines. set caydu propter exercitus magni dominij non dimisit quod non intraret in terras ipsius. & pluries belauit cum exercitibus eius qui contra ipsum ueniebant. Et noueritis quod rex caydu habet bene centum milia equitum qui sunt omnes probi & in prelio <sup>108<sup>o</sup></sup> consueti. & habet penes se quam plures borones de imperiali progenie cingiscan. quia iste fuit principium Imperij & primo habuit dominium. & unam partem mundi suo dominio subiugauit. Et ideo dicitur de progenie cingiscan dimitemus ergo de hoc & de quibusdam prelijs habitis inter magnum dominum & regem caydu narabimus. & primo dicemus qualiter ad prelium pergunt est eis preceptum quod quilibet ipsorum in prelium portet sexaginta sagittas. quarum triginta sunt minores causa transfigendi. relique uero triginta sunt maiores que ferrum habent largum. Istas proiciunt cum sunt prope inimicos. & de ipsis se in uultu feriunt & in brachijs. & sibi inuicem cordas arcuum incidunt. & magnum dapnum sibi uicissim inferunt. Et cum sagittas omnes proiecerint apponunt manus ad enses & clauas. & sibi imprimunt magnos ictus. diximus qualiter pergunt ad belum